



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

Pvrificatio B. M. V. 2. Februarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

lapis in salem versa, pauperū subsidio,  
 Porro oculos procorum, ut virgo effu-  
 geret, id lacrimis à Deo impetravit, ut  
 oculi foedum effluerent. Sed sic Christi  
 oculis illa placuit, in cuius manū cum  
 inter velatas virgines conveniret ad  
 Aram, Ara, quò florem BRIGITTÆ  
 laudaret, frondere visa, oculisq; decor  
 suus redire. Sed & aliis oculos restituit.  
 Ex his virgini ita volenti cæcitatem  
 denuò exoravit; cum supplicium hæc  
 crederet non videnda videre, diceretq;  
 tunc etiam cum videret, nihil se in toto  
 orbe vidisse. Felicius linguam aliis sol-  
 vit. Ita mutam ad eum diem usque  
 virgunculam manu molliter prehensam  
 tam diu rogavit, num Christo nubere  
 vellet, dum velle se respondit, rectissi-  
 mē primū linguā usā. Cum deinde  
 femina infamis infantem edidisset, pa-  
 rentem Episcopum Broonem mentita;  
 linguam crucis signo à BRIGITTA  
 signatam in patrociniū ipse infans  
 solvit, & contra matrem testimonium  
 dixit. Tacebimus igitur nos. BRIGIT-  
 TAM rectius hic infans laudabit. Ex  
*Ser. & Lippeloo.*

PURIFICATIO B. M. V.

2. Februarii.

¶ Bat dies à partu VIRGINEO quadra-  
 gesimus, primus quo terra dignum  
 aliquando celo donum offerret, Gesta-  
 bat

bat hoc præ pectore Virgo nuper, nunc  
 geminâ felicitate Mater Virgo: latus  
 Iosephus claudebat, virgo virginis vir-  
 ginem gestantis comes. Gersbat illa  
 munus in sinu, iste in oculis; arridebat  
 euntibus cælum, & spectatores cives  
 suos plenis agminibus effuderat; exilie-  
 bat lætitiâ tellus, & ad singula pedum  
 vestigia singula fundere lilia gestiebat:  
 cum interim jam Hierosolymam, jam  
 templum pompa ingreditur, & obuius  
 adest felix ille longâ ætate senex, feli-  
 cior aspectu Servatoris futurus, felicif-  
 simè in vitæ amplexu vitam positurus.  
 Ergo in genua procumbit Virgo purissi-  
 ma, donumque cælo dicat, quo nec  
 terra dare, nec cælum expetere majus  
 poterat. Quid hîc dicam? parce nimium  
 Mater prodiga. Poteras charum pignus  
 à pectore avellere? poteras alienis ma-  
 nibus unicum Filium concedere? & ta-  
 lem Filium? & tu, ô Puer IESV suavissi-  
 me, poteras abire sinu tam dulci? po-  
 teras aliis ulnis quàm Matris in ulnis  
 delitescere? Ite nunc parentes avari,  
 qui DEO negatis prolem, orco datis:  
 ite molles filii, qui pluris avocantem  
 patrem, quàm DEVM vocantem, pluris  
 unam matris lacrimam, quàm omnem  
 IESV sanguinem facitis ingrati. Ite &  
 utrique ætatis florem discite non mun-  
 do, sed templis, sed aris, sed Deo di-  
 care. *Ex Histor. Evangel.*